

nunc dubia alia taceam, in edendo peculiari Tract: d. Priapo Ceti, jam ante octennium expressa à me, antequam Sam: Bocharti illustre Hierozoicum viderem, quem postea quoque Conjecturae meae faventem, vidi: (præfat. Partis I. lit. B. col. 3. 4. & lit. S. col. 4.) addentem (lit. T. col. 1.) quod Leviathan Thalmudicis quoque sit Crocodilus. (Vid. eund. part. I. lib. 5. cap. 18. pag. 791. & part. 2. lib. 5. cap. 16. 17.) De Glandulâ Crocodili, Moschum redolente, cujus ceteroquin Nardus Ant. Recchus (lib. 9. Hist. Mex. c. 3. pag. 315. 316.) & Johannes de Laet (Ind. Occid. pag. 321.) meminit; de Pantherâ item, Civettâ, Martea, Mustelâ, Mure Muscovit: Genitalibus, vel Excrementis Serpentis cujusdam Indici, Ave Anacangrisque Insularum Maldivarum, Corde sicco Avis cujusdam alterius odorifero, Scarabæis Moschatis, Piscibus bene olentibus, Nuce Moschatâ, Semine Bammie, Cyano Turcico, Narcissis & Jasminis quibusdam, Hyacinthis plerisque orientalibus, Syringâ, Vini, Pyri, Scabiosæ, Geranii, & Rosarum certâ specie, Ranunculo Septentrionalium minimo, (imò ipso Aëre quandoq;), Moschi Odorem referentibus, Terrâ quadam ac Domo odoratâ, Lapide nigro Violaceo, & vel Aquâ suaveolenti stercoreis Humani, distinctim agetur in Tractatu de Kezioth Psalmi 45. v. 9. ubi tota Odoriferorum doctrina enucleabitur. Deque virtutibus Medicis tam dictæ Glandule, quam Carnis, Adipis, ac aliarum partium Crocodili (Ovorum etiam) monenda interim monui; variaque hanc in rem confert Plinius (lib. 28. c. 8.) pleraque tamen vana.

\* 18. Olla Potrida, Hispanis dicta, in Effigie monstrata, ex Thomæ Hariot Narrat. Virginie (figur. 15.) & explicata de Vase Figulino, quo ab Incolis Fructus, Carnes, Pisces, &c. simul coquantur, Genio sic facile indulgentibus. Hinc itaq; dicebatur de Ciborum (1.) Conditionibus generalioribus, e.g. Delectum eorum videri necessarium; Consuetudinem tamen etiam contrâ plurimum valere: (2) Generibus ex Regno Naturæ Vegetabili olim præcipuè petitis: (3) Condimentis: (4) Tempore ac Ordine sumendi: & (5) præsertim Differentiis: De Cibovidel. aut Victu simpliciore, (qualis verissimiliter Patriarcharum erat) vel confuso, (ad quem Ollæ Potridæ fercula, apud Polonos pauperiores etiamnum celebria, pertinent) Euchymo, ac molli, Cacochymo ac duro; Multo, Parco; Calido, frigido; Cocto, Assato, Frixo, Tosto, Elixo aut Suffocato; Crudo, De Crudivo